

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXLIX.


[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

rem, & dictum est mihi, Electorem de eo mandata dedisse, sed quomodo res agatur, nescio. Quemadmodum enim ego per Electorem, toto ministerio hujus Ecclesiæ id ignorante, vocatus fui, & adveni: ita fit etiam de aliis. Sed utilius fortasse foret, aliter rem agi, & quandoq; aliorum etiam judicia audiri. De novo & idoneo pastore, quem surrogastis Dn. Flinero, gratulor vobis & Ecclesiæ, & spero eum Ecclesiæ, & Ecclesiam ipso dignam fore atque esse. Fuit autem & D. D. Pappi facta mentio in aula nostra, sed nescio an aliquid sit perscriptum ad ipsum; ego sanè de eo fui interrogatus, quis & qualis esset. Princeps Bipontinus apud nos fuit, & cum Dn. Doctore Georgio Cælestino de multis contulit, eique de tua H. retulit multa. Vitis autem fui ipse etiam de quibusdam ad Concordiæ formulam pertinentibus dubitare. Sed referet ad H. tuam de omnibus prolixè ipse D. D. Cælestinus, qui quamplurima habet vobis exhibenda & referenda, ut qui plurimis gravissimis deliberationibus interfuerit, & arcanorum etiam multorum sit conscius, quem tua H. admittet & cum voluptate audiet. Literas uxoris vestræ vidèbo ut tradam ei, cui sunt inscriptæ, idque, quamprimum fieri poterit. Quod reliquum est, vos omnes à quibus salutem accepi, refaluto, meque & Ecclesiam hanc nostram vestris precibus commendo. Heidelbergæ, 23. Septembris, Anno 78.

T. H.

observantiss.

Petrus Patiens.



CCXLIX.

*Gratiam & salutem in Jesu Christo. Venerande &
humanissime Domine Doctor.*

DOleo tuas vices, qui, ut audio, Biponti etiam ex podagra decubueris, & nunc iterum malè habeas. Et precor DEUM, ut & dolores præsentis mitiget avertatque, & per nuncium hoc meum tibi refocillationem aliquam afferat. Pertexam enim historiam Ecclesiæ Heidelbergensis, & meam. Nostri homines valde diligenter me audiunt, &, ut ad me refertur, adversarii etiam solidam doctrinam à me proponi agnoscunt, & magis quam vel dicere vel etiam credere possim, studium & doctrinam meam comendant. Elector vocavit ad se, confectis aulicis, sed nobis omnibus ignorantibus, Schallingium, Palatinatus superioris Superintendentem, hominem Philippo deditissimum, & Flaccianismo (qualem illum Witebergenses impuriore diu nunc:

tra-

traducunt) quam maximè adversarium & infensum, eumque duobus aliis comitatum concionatoribus, quorum alter senex est, & nobiscum mansit, alter illum comitatus est Schmalkaldiam ad conventum, adjunctusque est illis junior Scheccius, concionator aulicus, homo satis insolens & audax. Nos qui in Palatinatu inferiore sumus, patimur, ut ab omnibus consilii excludamur. Dijudicantur igitur isti una judicia Theologorum, ante hoc tempus hic congregatorum: & iter ingressi sunt ad sextum hujus, cum triduum hic hæssissent, senior ille, homo bonus & simplex, retulit mihi in mensa, cum gemitus meos, pro illis unà congregatis in Synodo, ostenderem, non colloquuturos esse illos, sed scripto sententiam suam declaraturos, & si ulterius urgeantur, ostensuros, se nihil habere amplius in mandatis, quod respondeant aut agant: sic haben einen gemessenen Befehl. Et hoc quidem in altera etiam cœna, à me provocatus, respondit. Interim autem bis fui cum Electore. Primò ultrò accessi; secundò, vocatus ad cœnam, comparui. Et primò quidem dixit Elector, se seridè agere negocium, cumque illo surgere ac decumbere. Non potuit etià me celare de conventu Schmalkaldia, sed dicebat, esse tantum conventum legatorum, qui ab ipsis tribus Electoribus Evangelicis illuc mitterentur. Urbi tunc vehementer, ut Superintendentem aliquem vocaret, & Academiæ de Professoribus Theologiæ idoneis prospiceret, sed in genere ille respondit, se visurum, & interrogavit me de Dn. Vito Wormatiense, quem ego, quia neque concionandi neq; disputandi donum haberet, neque iudicio præstaret, hac in parte rejeci. De Doctore Pappo porro cum interrogaret, egoque eum Dn. Flinero substitutum esse dicerem, eundemque tanquam concionatorem & lectorem & disputatorem & scriptorem bonum commendarem, vehementer dolebat, se eum neglexisse. Venit tandem ad Doct. Jeremiam Hombergerum, & cum hunc commendarem similiter, quærebat, an non Flacianus esset? Ita penitus ei Flacianismi & Ubiquitatis nomen insedit. Respondi, in doctrina peccati Originalis contra Flacium pugnasse. Perrexit tandem, & se cogitare, quomodo me secum retinere, meque à Francofurtensibus liberare velit, ostendit. Ego præter causas priores duas alias adduxi, ob quas hoc detrectarem, quarum altera difficultatem mutationis economicæ concernit, quæ uxorem planè alienam ab hac re faciat: alteram dixi esse sèrem in montibus inclusum, nebulosum, & mihi ob vicinum flumen molestum, quippe qui aquis adhabitare diu non queam. Ita discessi, ut de aliis, atque ita etiam de filio tuo D. Philippo, nullam mentionem facere ausus fuerim, & de me quoque nihil promiserim. Conquestus autem est ad quandam, quod à me nihil obtinere possit. Ich san an dem man nichts erhalten. Ubi secundò veni, retuli ei iudicium meum de confutatione eorum, qui prætextus quærent detrectandi subscriptionem, &c. acquievit ille. Referenti autem mihi illa, quæ audieram

ram de scriptis in synodo exhibendis, ultra quæ non progressuri essent, simpliciter respondit, nihil esse. Senem non intelligere rem hanc, addiditque se misisse homines, qui cor ipsius perspectum habeant. Quod si velint reliqui, consultum fore Ecclesiæ. Sin minus, se aliud, quod addat, ne cogitare quidem posse. Delapsus autem in hoc colloquio est in mentionem de conventu, quem in animo haberet convocare. Ego id vehementer approbavam, & eo vehementius urgebam, quod ex Saxonia scriberetur, solum ipsum impedire Synodi convocationem, ex qua suspicione se merito liberaret. Respondit ille, se etiam talia intelligere, de se spargi, & quidem à suis: sed immerito. Cogitare igitur de Synodo convocanda, & re ita instituenda, ut seposito omni respectu personarum, omnique alio affectu humano, simpliciter de doctrina ex propriis fundamentis agatur, & quicumque aliud agat aut agere videatur, simpliciter rejiciatur, &c. Mox ad me iterum devenit, & vehementer urfit, ut sibi me permittam. Non credat aliquis, quam egregie hic se Theologum præstiterit, & quibus argumentis conscientiam meam perculerit. De valetudine mihi conquerenti, respondebat: Wenn ich wüßte/ daß euch ein nagel an ein finger schweren solte/ so müßte mirs leid sein. Jubeat me etiam postulare, aromata, pharmaca, vinum præstantius, & quæcunque ex aula putarem posse haberi. Promittebat etiam ædes à Nicro remotiores & ærem liberiolem habentes. Me conscientia meæ metuentem, ad vocationem remittebat, & suo exemplo consolabatur, qui cum parens obiisset, domi uxorem infirmam & tamen partui vicinam relinquere coactus fuisset, & multum sanè dubitasset, funerisne paterni an uxoris potius habenda ratio esset. Sequutum autem esse vocationem, & hoc cum comodo suo, quippe qui hic ex sententia rem curasset, ac domum reversus uxorem salvam, & pro liberis tribus, quos domi reliquisset, quatuor invenisset, &c. Tandem cum nihil promittere vellem, nisi consentireis, ajebat, will ich mein Gemahl über euch schicken/ die soll von ewerem Halße nicht lassen/ donec consentias, Ab eo tempore nunc quatruiduum animo sum quam maximè dubio & anxio, quia manendum mihi omnino esse video, & quomodo tamen me huic vocationi committam & à priore expediam, non video. Dixerat paulò ante cuidam Elector: Die von Francfurt müssen mir in lassen/ oder will ehe einen freig mit Inen ansahen; quæ omnia serid rem agi ostendunt. Nunc alia sollicitudo huic accedit, quod uxor cum familia (postquam eos, ut utrinque nobis non nimium gravis accidat solitudo, consentiente & jubente Electore, vocavi) quia ad tempus à semetipsis præscriptum mihi, non veniunt, adversi aliquid pati videntur, quo impediuntur. Etsi autem video, consentiendum esse, vel ob hoc solum, ut alium aliquem minus idoneum impediam & excludam per obedientiam meam, Deo vocanti & ferme trahenti, debitam: tamen differam assensionem, & præter alia hoc prius obtinere conabor, ut à suspicione de Flacianismo &

E e e

Ubi-


Ubiquitismo me & omnes bonos, vel ipsum potius Electoris animum, liberem. Nisi enim hic se informari patiatur, nihil certe ego consensero. Sin autem, facilius erit omnium aliorum ratio. Quod si hic tua humanitas pro pietate & sapientia sua mihi consulere volet ac poterit, oro ut hoc faciat. Intra mensem tamen à me nihil concludetur. Nam & uxoris animus expugnandus mihi dextrè fuerit, quod mihi difficile erit, propter plurima commoda nobis jam Francofurtiæ proposita & parata, nunc verò abjicienda & in posterum frustra speranda. In summa, si Deus hoc fieri volet, nihil aliud quam praxin eorum, quæ de Patriarcharum fide & spe in DEO supra & contra omnem rationem, hætenus in Genesi meis auditoribus concionatus sum, DEUS à me requirit; quam ego quidem præstare paratus sum, sed alia multa incidunt, quæ me in diversam partem trahant. Sed Domini voluntas fiat. Vos si quid consilii aut solatii huc attuleritis, opus misericordiæ feceritis & me multo merore & dubitatione magna liberaveritis, cum magna mea gratiarum actione. Quod si occasio informandi me consilio & consolationibus vobis defuerit, egoque interim urgear, hanc gravissimam omnium causam, cur non consentiam, Electori proponam, quod in doctrina se hic res non rectè habeat, sed dominantur suspensiones, diffidentia & calumniæ, ut dixi, de Flac. & Ubiquitismo, & petam, ut Elector aut me de his differentem audiat, vel scripto sibi à me rem explicari sinat, vel ubi reversi fuerint Theologi Ambergenses, sinat hos & aulicos, & nos super his conferre, ipso præside & iudice, partemque, quam Scripturæ fundamentum & patrocinium habet, amplectatur ac defendat, alteram verò compe-scat. Quod si rectè res habeat, facilius erit ratio omnium; Sin minus, ego certè me simulatibus & contentionibus istis non immiscuero. Condonabit mihi autem humanitas tua benignissimè, quod verbosè & confusè nimium hæc scribo. Verè enim meus iam non sum, quippe qui & animo sum confuso & perturbato, & occupationibus ministerii & huius diei propriis urgeor, & in tempus nimis angustum concludor. Quod autem H. T. proximè consuluit, ut retineam civilegium Francofurtense, & permittam eis, ut me, si opus sit, revocent, hoc ego ne sperare quidam ausim. Ubi enim locum meum vacuum reliquero, omne jus mihi illic perierit, amicitia etiam, ut metuo, & non revocabunt me, etiamsi absque conditione me esse viderint, nisi gravissima necessitate hac adigantur, & inviti id facere compellantur. Simpliciter igitur abjecta omni spe in hominibus, in solum Deum hic respicere cogor, & ab illius providentia dependere, mediis humanis exclusus. Bona enim, quæ habeo, profusus abjicere cogor, & ubi omnia contraria mihi sunt, eò me conferre; quod certè à multis iudicabitur esse tentare DEUM. Et metuo, ne uxor, quæ mecum subire hanc sortem cogitur, prima sit, quæ indignè ferendo, id quod ago, me, si non expostulationibus & conviciis, at impatientia qualicunque & querelis fati-

fatiget, ac cum Jobi uxore simile quod patiat. **DEE** helffe allenthalben/
Amen. Effundo autem hæc in sinum humanitatis tuæ, quæ talia sunt, ut ad
quemvis alium se deferri sine periculo non patiantur. Ego quidem, quem hæc
nosse velim, præter Dominum Thomam, apud vos non novi. Vos autem,
quatenus commodum fuerit, aliis aliquid de his communicari, eatenus pro
prudencia vestra communicabit. Reliqua contenti eritis vobis scire. Nunc
tuam H. cum uxore & familia DEO patri commendo. Wismano literas tra-
didi, sed tempus non habui, ut repeterem nunc ab eo responsum. Heidel-
bergæ, 11. & 12. Octobris ad candelam, Anno 78.

T. H.

observantiff.

Petrus Patiens.



CCL.

S Qui has perfert, Doctoris Theodorici Schnäpffii, Thubingensis Theologi,
frater est, & istuc se contulit, quod literas & pecuniam accepturum se
speret. Petivit à me, ut aliquid literarum ad te darem, quo esset occasio, se
conveniendi. Medicinæ Candidatus est, homo singulari ingenii suavitate.
Commisit & alius suas literas mihi Thubingam pertinentes, quas cupit trans-
mitti, cumque non alia occasio ad manum nobis sit, quam ut istuc curentur,
ad te mitto, rogans, per alterum ex filiis eatenus nobis gratificeris, quo quam-
primum fieri queat, Thubingam mittantur. Utere vicissim nostra opera, sen-
surus promptos. Ex comitiis nondum rediit Republicæ nostræ Legatus, &
proinde nos latent, quæ Senatus ordinum decreverit, circa Burgundiacum
negocium; miramur inrerea, aded altum esse, cum de ipso & Belgicis rebus
silentium. Commendo te gratiæ DEI, Vir Reverende & charissime frater,
Basileæ, 15. Octobris, Anno 1578.

T. d.

totus Sulcerus.

CCLI.

G Ratias summas Generosi Comites nostri & D. Sturmio & tibi, Clariff.
D. Decane, pro vestro in manes parentis pietatis officio habent. Deno
Eeee 2 autem